

Non iniuria Naturæ audaciam stupuit vir profunda sapientia imbutus. Vt enim cætera iam omit-  
tamus; cum

---in publica commoda peccem

*Si longo sermone morer TV A tempora-*  
vide tantum *Generosissime Comes, Heros fortissime*, to-  
tius vniuersi imaginem, *Separatione hac Chymica* ela-  
boratam, in quinque sensuum nostratum colloca-  
tione. *TACTVS* enim qui inter sentiendi facultates  
crassior est, & (sine ita dicam) corpulentior densior-  
que, *terre* impuritati respondet. *Gustus* purior ali-  
quanto, qui sapores objectorum conuenientium,  
humoris interuentu percipit ac dijudicat, ad Ele-  
mentum *Aquæ* non inepte refertur. *Auditus*, non  
est dubium, quodnam ex istis corporibus simplici-  
bus sibi vendicet, cum *Aer* percussus, vel voce, vel a-  
liquo alio instrumento, sonum edat, qui in aures  
nostras incurrit, *Odoratus* cum *Sphæra ignea* consenti-  
re videtur, cum & ignem eiusque effecta, etiam pro-  
cui ab oculis nostris remota, odore percipiamus, &  
suffitus ac odoramenta, cæteræq; qualitates aroma-  
ticæ, ignis beneficio tam gratum spirent, nostrisque  
influant naribus. *Visus* denique ad *Aethera* propius  
accedit, qui & cœlum inferius atque adspectabile  
dicitur,